

Nicolaus Schütze

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Nicolaus Schütze/ I.U.D. & Codicis Professor, Ad Exequias Quas ... Viro Dn. Michaeli Neucrantzio, Med. D. Vidua moestissima hodie ... paratas cupit, Omnes omnium ordinum Cives Academicos sedulo hortatur

Rostochii: Kilius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn776218611>


Druck Freier  Zugang




Schütze, N.,
in
M. Neucrantz.

Rostock, 1641.

38.



* Rostock, 8. Oct. 1609.



PROGRAMMA
QUO
RECTOR
Universitatis Rostochiensis
NICOLAUS Schützel
J. U. D. & Codicis Professor
AD EXEQUIAS

QUAS
CLARISSIMO ET EXPERIEN-
TISSIMO VIRO

DN. MICHAELI
NEUCRANTZIO,
MED. D.

*Vidua mœstissima hodie hora media prima in
templo Mariano paratas cupit,*

Omnes omnium ordinum Cives
Academicos sedulo hortatur.



ROSTOCHII,

Licetis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno M. DC. XLI.

Dolendum est & veris lacrumis de-
plorandum, quod humanæ condi-
tionis tanta sit fragilitas, ut non mo-
do senes, qui vires omnes vivendo
consumserunt, & infantes, qui vires
ad vivendum confirmatas nondum satis adepti
sunt, moriantur; Sed & juvenes & viri, jam ætate
& viribus confirmati, in hunc censum venire co-
gantur: imo & ii, qui vitæ modum tenere sciunt,
nec intemptivo cibi & potus usu, luxuria, inglu-
vie, crapula valetudinem deterunt, morbos &
mortem accersunt ultrò: ita enim qui vivunt, mi-
rum non sit, si vivere cito desinant, & fragilitatem
suam hoc modo fragiliorem reddant. Sanè qui
nobilissimam imò divinam medendi artem profi-
tentur negare non possunt, non semper, sua in ma-
nu positum esse, ut æger à morbo releveretur, &
convalescat, quin malum plus interdum docta arte
valeat, & omnia quantumlibet generosissima re-
media vel planè respuat vel vincat. Quod in Cla-
rissimo & Præstantissimo juvene Viro Dn. MICHA-
LE NEUCRANTZIO filio, proh dolor, nimis verum
esse, funus hodiernum testatur: qui cum ita vixe-
rit, ut neq; in suæ artis regulam peccaret, nec spem
vitæ longævæ ullo sibi vitio præcideret: tamen fa-
tis ita ordinantibus, haud scio annon contra na-
turæ ordinem, ante parentem senem è vita decessit,
eiq; lactum reliquit, cui oculos morienti claudere
ac de-

ac debitum funeris officium suo tempore præstare
debuisset. Sed frustra querimus, quod mutare non
possumus: in rem præsentem eamus potius, & vi-
tam piè defuncti videamus. Hic enim, cui iusta fu-
nebria jam fiunt, D. MICHAEL NEUCRANTZ
mundi hujus lucem, si modo lux dicenda est, pri-
mùm in celebri hac urbe intueri coepit Anno 1609,
8. Octobr. prognatus ex parentibus piis & hone-
stis, patre quidem MICHAEL NEUCRANTZIO Me-
dicinæ & Philosophiæ Doctore & Practico de mul-
tis bene merito; matre vero matrona proba &
œconomicæ rei studiosissima ANNÀ KOLTZO-
VIÀ ex antiqua apud nos KOLZOVIORUM fami-
lia oriunda. Fratres defunctus noster tres habuit,
quorum primus JOHANNES NEUCRANTZIUS,
postquam Anno 1627. 10. Maij summos in Medi-
cina honores à Facultate Medica in hac Academia
consecutus esset, paulo post Lubecam concessit,
ubi cum ultra biennium praxin Medicam feliciter
exercuisset ab Amplissimo inclytæ Reipub. Stral-
fundensis Senatu legitimè vocatus & in Patru-
i sui non ita pridem defuncti D. ZACHARIÆ
NEUCRANTZII, p. m. Physici ibidem quondam
primarij locum suffectus est. Alter D. PAULUS
NEUCRANTZIUS cum varias & diversas regiones
& provincias, præsertim Germaniam totam, Ita-
liam nec non Angliam & Daniæ partem studiosè
visitasset, cum & in Academia Patavina per bien-

nium studiorum causa substitisset, Doctorales ibidem in Medicina honores, & supremos titulos in summa festiuitate, & Clarissimorum virorum Corona publicè & solemniter obtinuit, & hoc tempore praxin Medicam in Imperiali urbe Lubeca feliciter & cum laude exercet. Tertius natus minimus HENRICUS optimæ spei, & ipse juvenis in ipso ætatis flore exstinctus est. Caterum defunctus noster D. MICHAEL NEUCRANTZ post acceptam in Baptismate per Spiritum Sanctum Regenerationem à teneris in studijs à Parentibus informatus est scholæq; trivialis Præceptoribus, & in hoc & alijs vicinis locis commissus inter ludi litterarij ibidem alumnos industrium & diligentem se præbuit, quousq; dum cum fructu aliquo Academicos Professores publicè docentes audire potuit. Itaq; post linguarum Catholicarum cognitionem plenariam totum Philosophico studio se dedit, & alijs partibus non neglectis, præ cæteris in Mathematicis non contemnendos progressus fecit, simulq; in Musica ita exercitatus, ut non solum vocalem caluerit, sed & in Practica successivis horis, quoties necessum erat, Instrumentalem & Organicam Musicam cum laude exhibere posset. Philosophiæ spacia cum emensus esset & ad altiora studia animum applicare commode posset Medicinæ nomen suum dedit, inq; ejus castris sedulus & diligens aliquot annos desudavit, tantum per Dei gra-

tiã

etiam effecit, eamq; nactus est peritiam, ut ea quæ pu-
blicè & privatim in lectionibus à Præceptoribus au-
divisset, quæ in exercitijs & disputationibus observa-
set, quæ privato studio cùm legendo, tam disputan-
do affectus esset, publico usui dare & Reipubl. Chri-
stianæ talentum suum commodè elocare consideret.
Primum namq; studia Medica hîc Rostochij in Patria
diligenter à Præceptoribus publicis & privatis ulte-
riùs pertractavit, imo à Parentis sui latere non dece-
sit, & quæ ille ultra 40. annos in Theorica & Practica
observasset in usum suũ convertit. Lectionibus Ana-
tomicis & Exercitationibus botanicis diligentissimè
interfuit, disputationes aliquot privatas ex magni Fer-
nelij Pathologia studiosæ juventuti exhibuit. Jamq;
in arte Medica confirmatior ex Consilio Parentis sui
præcipuas Germaniæ urbes visitare voluit, tandemq;
Argentiniæ, per annum & quod excurrit subsistens,
quæ ipsi adhuc deesse videbantur, ex Professorum le-
ctionibus & Disputationibus diligentissimè sibi in-
succum & sanguinem convertit. Præceptoribus suis
ob discendi & proficiendi cupiditatem gratus fuit &
familiaris, qui, cùm profectum ejus mediocre ani-
madvertissent, Megapolimq; bello ardere inaudirent,
autores fuere, & dignum illum judicarunt, cui Do-
ctores honores conferrent, non intra privatos pa-
rietes, sed in Publico loco & actu solemnî, quod cum
bono Deo feliciter factum est, Anno Christiano 1632,
24. cū Aprilis, Disputationem Publicam de uteri suf-

focatione pridie scilicet 2. 3 April. publicè exhibuisset, in præsentia Dn. Cancellarij, viri Strenui Nobilissimi & Amplissimi Dn. Jacobi Sturm & Rectoris Magnifici Viri Consultissimi & Clarissimi Dn. Joachimi Clutenij J. U. D. & pro tempore Decani spectabilis viri Nobilissimi & Clarissimi Dn. Melchioris Sebitij Medicinæ Doctoris & Prof. Comitæ Palatini & Physici Reip. Ordinarij Dn. Promotoris Dn. Johannis Rudolphi Saltzman Med. Doctoris & Physici Ordinarij. Actu illo Promotionis solemniter & feliciter finito aliquandiu istic substitit, & cum rumores bellicos in Patria sua sensim remittere inaudirèt, domū per Belgiū se contulit, parentes sibi salvos esse cum gaudio cognovit, qui præsentia ejus recreati; illum à se se dimittere noluerunt, cum autem hic in Academia esset, & ex conversatione quotidiana cum Parente, jam tum ultra 40. Annos Medico Practico industrio, multa sibi aliquando utilissima experimenta habere posset, unde factum, ut brevi eousq; per Dei gratiam pervenerit, ut & ipse apposite curare & Praxeos suæ initium laudabile apud multos facere non infeliciter posset. Interim multæ conditiones optimæ aliò commigrandi in diversis locis ipsi patuerunt, quas modestè recusavit, & apud parentem in patria sibi permanendum duxit, præsertim cum mater charissima ex Epidemico morbo ante biennium parenti & sibi crepta, ut hoc in loco sedem figeret & ne parentem desereret, obnixè rogasset: Quin & non tantum in patria manere, sed

& de

& de conjugio cogitare cœpit, & divinâ providentiâ
nec non consilio parentis matronâ honestissimâ Re-
verend:& Doctiss. Viri *Dn. M. Joachimi Fulleberij* SS.
Theologiæ Candidati relictam Viduam *Dn. Johan-
nis Wegeners* Civis & negotiatoris Rostochiensis pri-
marij & *Gertrudis Detloffs* matronæ optimæ filiam
Dorotheam II. Aug. Anno 1640, in uxorem duxit;
quod conjugium ut blandum ita minime fuit diu-
turnum. De improvise enim die 17. Martij in arden-
tem eamq; malignam febrim continuam diris sym-
ptomatibus stipatam incidit, quæ in tenello, infir-
mo & pallido hoc corpusculo primum omnes totius
corporis vires malignitate & vi sua indomita bre-
vi dierum spatio sustulit, adeo ut neq; pes neq; manus
amplius suo officio fungi nec ipse de lecto sine ani-
mi deliquio surgere posset & tandem 12. ab invasione
die finem vitæ illi intulit, Adhibita quidem sunt à pa-
rente & alijs quotquot in urbe erant Medicis exper-
tis generosa remedia; sed frustra. Itaq; cum humanum
auxilium cessaret, divino uti voluit, & ad se vocari pe-
tijt Confessionarium suum Rev. Nobilem & Clariss.
Virū *Dn. Constantinum Fidlerum* Superintendentem
& Pastorem Ecclesiæ Marianæ vigilantissimum, cui
cum confessionem peccatorum suorum summâ cum
devotione recitasset, absolvi se ab ijs omnibus læta-
mente audivit, ultimoq; insuper illo viatico muni-
tus corpore scil. & sanguine Domini & Servatoris sui
Jesu Christi passus dissolvi vinculis hujus corporis &


611


Tum Christo suo esse in coelo anxie desideravit : Cuius voti etiam compos factus est, dum mox 28, nempe Martij die anno ætatis suæ 32. placide expiraret & mundo huic immundo valediceret, eadem ferme mensis die & horâ, quâ mater ipsius dulcissima ante biennium defuncta est, latam carnis suæ resurrectionem expectans & beatam illam spem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Deus opt. max. relictæ viduæ moestissimæ, parentis Senioris, fratrum duorum & reliquorum propinquorum misereatur, & dolorificum illud vulnus inflictum balsamo clementiæ suæ artemperet, lacrymas acerbis ab oculis & genis eorum abstergat & veniente novissimo die nos omnes & singulos æterna beatitudine coronet.

Ita ergo ille vixit, ut Clariss. & Experientissimo seni Dn. MICHAELI NEUCRANTZIO patri amico nostro singulari & fratribus itidem clarissimis viris, præter eos juveni etiam viduæ vel imprimis desiderii sui, dolorem, luctum, lacrimas relinqueret: laudem verò pietatis, modestiæ, probitatis, eruditionis & peritiæ Medicæ, merito suo apud posteros & inveniret ac studiosæ juventuti commendaret. Nos vero, Cives Academici, qui parentis, filio egregio, & fratrum, fratre desideratissimo, & viduæ, marito, instar vitæ & animæ suæ, dilecto orbatorum, vicem dolemus, quid facere oportet? Celebremus, quanta fieri potest, maxima frequentia funus & extremum honorem exhibeamus ei, qui honore & amore omnium dignus habitus est. Cedet illud omnibus hoc tristi casu adflictis in consolationis partem non minimam & nos fragilitatis nostræ, cui pariter subjecti sumus, memoriam eadem opera conservabimus. P.P. Rostochij sub Sigillo Rectoratus


Anno cl^o l^oc xli. Calendis Aprilis.

Conventus fiet in templo Mariano hora media prima pomeridiana.





& de conjugio cogitare cœpit,
nec non consilio parentis mat-
verend:& Doctiss. Viri *Dn. M.*
Theologiæ Candidati relictam
nis Wegeners Civis & negotiato-
marij & *Gertrudis Detloffs* m-
Dorotheam II. Aug. Anno 164
quod conjugium ut blandum
turnum. De improvise enim
tem eamq; malignam febrim
ptomatibus stipatam incidit,
mo & pallido hoc corpusculo
corporis vires malignitate &
vi dierum spatio sustulit, ad e-
amplius suo officio fungi nec
mi deliquio surgere posset & ta-
die finem vitæ illi intulit. Adhil-
rente & alijs quotquot in urbe
tis generosa remedia; sed frustra
auxilium cessaret, divino uti vo-
tijt Confessionarium suum Re-
Virū *Dn. Constantinum Fiedler*
& Pastorem Ecclesiæ Marianæ
cum confessionem peccatorum
devotione recitasset, absolvi-
mente audivit, ultimoq; insu-
tus corpore scil. & sanguine D-
Jesu Christi passus dissolvi vir-



providentiā
stissimā Re-
ulleberij SS.
Dn. Johan-
hienlis pri-
timæ filiam
rem duxit;
ne fuit diu-
rij in arden-
a diris sym-
uello, infir-
annes totius
omita bre-
neq; manus
to sine ani-
o invasione
m sunt à pa-
dicis exper-
humanum
e vocari pe-
n & Claris,
tendentem
simum, cui
um m̄a cum
nibus lata
atico muni-
ervatoris sui
s corporis &
CUR